ut homo, dimisit ut bestia. Ad longum tibi recitabit, si ab eo petiveris. Impudentiæ et pervicaciæ luit pœnas. Disputarant Philosophi Thesis, Veritatem in Philosophiâ et Theologiâ unam esse: nec Rationem simpliciter, sed corruptam, non audiendam. Acriter se opposuit Hoffmannus: infestatus est quosdam iniuriose, ut fit in tali colore. Res diu disceptatur in Senatu Academico: æquior censetur causa Philosophorum. Non quiescente Hoffmanno Acta mittuntur in Aulam: hæc lites Scholasticorum contemnit, putans non agendo posse sopiri: Elabitur annus: Urget Hoffmannus: traducit scriptis consiliarios, ea nominatim Cancellarium, tanquam præposterè agentem res graves et Principis. Incidunt literæ in hujus manus: accusat hominem: citatur traductor in consessum Principis: accusatur, constringitur convictus Arresto liberiore apud generum suum, ne urbe excederet. Post aliquot menses Princeps ipse diem causa dicit ex officio sublaturus, modò Hoffmannus aliquid se demitteret. Quid fit? Ipsum Principem protervè incessit. Digressum ex Curiâ subsequitur satelles, qui jubeat transire in cauponam, nec eâ exire injussum. Recusat. Princeps nunciari jubet, nisi sic acquiescat, aliud sibi diversorium paratum fore. Ibi constrictus hæret. Habes summam, ut ego quidem accepi. Vale vir clarissime: ex me peramanter saluta D: Socerum tuum et D: Iustum Rectorem magnificum. Heidelbergæ. 25. Maij 1600.

D. Polano Claess. Pareus S. P.

Honorande frater. Accepi his diebus Monavianas hasce ad D. Tobiam Sculzerum spectantes. Etsi autem credo eum à promotione in Italiam illicò se recepisse; tamen ad vos mittere volui: Si forsi habeatis occasionem isthinc mittendi ad ipsum.

Additæ erant aliæ ad D. Stückium, quas meis in-
clusas rogo ne tibi sit grave ipsi per occasio-
nem transmittere. Filium meum Geneva
nunc domum revoco, qui haud dubiè apud
vos transibit, suaq; tibi studia, si quid scri-
bere ad nos voles offeret. Nunc demum
expletas habemus professionum lacunas,
quæ diu Academiam nostram deformarunt.
Theologicam tertiam M. Coppenius, juridicam
primariam codicis vir clariss. D. Gothofre-
dus undiquaq; acceptavit. Frigus insoli-
tum penèq; Scythicum nos ab ingressu Solis
in aquarium hic afflixit acerrime: Forte non
minùs vos. Heri coepit recalescere. D. Sto-
ckelius pastoratum Neuhusianum sustinet.
Coppenio et Quirino nostro fortè ante nun-
dinas insignia Doctoralia hic conferemus.
Responsum meum proximum procul du-
bio accepisti: ac spero te in eo acquiescere.
Judico et ego hanc causam silentio esse
sopiendam: quoniam argutiæ non faciunt
ad pacem. Benè vale et clariss. virum
socerum tuum D. Grynæum ex me offici-
osè saluta. D. Jesus vos suâ gratiâ robo-
ret et laboribus affatim benedicat. Heidelb.
Calend. Febr: 1600.

T. T.

D. Pareus.

7.) Joh: Rudolpho Lavatero M. David Wasio S. P.

Accepi literas tuas, ornatissime Lavatere, tardiùs
tamen ac vellem. Noli quærere quàm gratæ
ea mihi,